



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XI. Quod desideria cordis examinanda sunt, & ponderanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

O amplectendum & semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

CAPUT XI.

Quod desideria cordis examinanda sunt, & ponderanda.

I. **F**ili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum benedidicisti.

Quæ sunt hæc, Domine?

Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum: & tui ipsius amator non sis, sed mee voluntatis cupidus æmulator.

Desideria te sæpius accendant, & vehementer impellunt: sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis.

Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomocunque ordinaro: si autem de proprio quæsitum aliquid latet, ecce, hoc est, quod te impedit, & gravat.

2. Ca.

2. Cave ergo, ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, me non consulto: ne forte postea poeniteat, aut displiceat, quod primo placuit, & quasi pro meliore zelasti.

Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda: sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda.

Expedit interdum refrænatione uti, etiam in bonis studiis, & desideriis: ne per importunitatem mentis distractionem incurras; ne aliis per indisciplinationem scandalum generes; vel etiam per resistantiam aliorum subito turberis, & corruas.

3. Interdum vero oportet violentia uti; & viriliter appetitui sensitivo contraire, nec advertere, quid velit caro, & quid non velit: sed hoc magis fatagere, ut subjecta sit etiam nolens spiritui.

Et tamdiu castigari debet, & cogi servituti subesse, donec parata sit ad omnia

omnia, paucisque contentari dicat,
& simplicibus delectari, nec contra
aliquod inconueniens mullitare.

CAPUT XII.

*De informatione patientiæ, & in-
mine aduersus concupiscentias.*

1. **D**omine Deus, ut audio, pa-
tientia mihi valde necessaria
est: multa enim in hac vita accidunt
contraria.

Nam qualitercunque ordinaverit
de pace mea, non potest esse sine
bello, & dolore vita mea.

Ita est, fili. Non volo te autem
talem quærere pacem, quæ tentatio-
nibus careat, aut contraria non sen-
tiant.

Sed tunc etiam æstima te pacem
invenisse, cum fueris variis tribula-
tionibus exercitatus, & in multis
contrarietatibus probatus.

2. Si dixeris te non posse multa
pati, quomodo tunc sustinebis ignem
Purgatorii?